

EPISTULA LEONINA

LXIV

PERIODICUM HEBDOMADALE
LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR SEMEL IN SEPTIMANĀ
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXIII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

Index of leonina <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM
SEXAGESIMAM SECUNDAM (64) !**

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS

SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam sexagesimam quartam.

Mense Augusto Epistulae Leoninae, quae antea editae erant incertis spatiis temporis interiectis, factae sunt periodicum verê hebdomadale, i.e. êduntur semel in septimanâ. Quantum scimus, nullum est periodicum Latinum aliud, quod êditur tantulis spatiis interiectis.

Hac in Epistulâ Leoninâ invenies tres fabellas Grimmianas in Latinum conversas et novissimum Indicem Vocabulorum. Hic maximê spectat ad vestimenta antiqua sive historica; talia quamvis hodie non gerantur nisi in actionibus theatricis cinematibusque historicis, tamen operae pretium est vocabula quaerere Latina, quibus sat aptê denominentur. Nam studia humaniora qui est verê atque sincerê professus, semper desiderat omnes res sibi circumiectas quam convenientissimê appellare sermone sibi dilectissimo.

Utinam quam plurimê placeat tibi lectio huius Epistulae Leoninae sexagesimae quartae.

Pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Lunae, 11. m. Nov. a.2013



**DIFFICILE EST SATURAM
NON SCRIBERE**

IUVENALIS

47-113 p.Chr.n.

FABELLAE GRIMMIANAE

DE PUMILIONIBUS

Prima fabella

Sutor quidam sine culpâ suâ tam pauper factus erat, ut denique ei nihil relinqueretur nisi tantum corii, quantum necessarium erat ad unum par calceorum fabricandum. Nunc vespere corium calceorum secando praeparavit postridie mâne tractaturus et bonâ conscientîâ cum esset, tranquillus cubitum iit et caro Deo se credens obdormivit.

Mâne precibus factis laboratum consessus vidit ambos calceos perfectos esse in mensâ statutos. Sutor autem miratus est nesciens, quid de hac re diceret, calceos comprehensos accuratius aspiciens cognovit illos exactius elaboratos esse quam ut ullum vitium appareret,

more sutoris peritissimi confectos. Paulo post emptor intravit, cui calcei tam bene placuerunt, ut plus solito pecuniae pro iisdem solveret; quâ pecuniâ fieri potuit, ut sutor tantum corii emeret, quanto fabricaret duo paria calceorum. Quos corio vespere dissecto voluit postridie mâne animo alacriore opus redintegrare, sed hoc non iam erat necessarium, nam cum surrexisset, calcei iam erant perfecti, nec defuerunt emptores, qui ei tantum pecuniae dederunt, quanto emeret corium ad quattuor paria calceorum necessarium. Postridie mâne etiam quattuor paria calceorum invênit perfecta; et sic deinceps fiebat, quantumcumque corii vespere dissecuerat, tantum postridie mâne erat pertractatum, ita ut mox haberet in sumptum et tandem fieret vir fortunatus.

Nunc aliquo vespere, haud diu ante Natale Domini, factum est, ut vir corio dissecto cubitum iturus uxori diceret: „Nonne placet hac nocte vigilare, ut videamus, quisnam nos tantopere adiuvet?“ – Uxor assensa candelam accendit, deinde in angulos conclavis post vestimenta suspensa abditi attenderunt. Mediâ autem nocte advenerunt duo nudi virunculi nitidi, ante sutoris mensam consederunt, coria persecta sibi assumpserunt et coeperunt tantâ cum sollertiâ et celeritate digitulis suis pungere, suere, tundere, ut sutor stupefactus oculos ne semel quidem ab illis averteret. Pumiliones autem laborare non desierunt, antequam omnia erant finita et perfecta stabant in mensâ; deinde celeriter salientes evaserunt.

Postridie mâne uxor: »Virunculi« inquit »cum nos divites fecerint, oportet iis gratos nos praebeamus. Illi frigent, cum circumambulent nullo vestimento induti. Scin' quid faciamus? Illis velim suere camisiolas, vesticulas, colobiola, braculas necnon omni virunculo acu texere par tibialium; tu autem omni pumilioni fabrica par calceolorum«. Vir autem assensit. Vespere, cum omnia praeparavissent, pro coriis dissectis dona in mensâ posuerunt et se abdiderunt, ut spectarent, quid pumiliones essent acturi. Mediâ autem nocte illi assiluerunt statim laboratum, cum non viderunt corium dissectum, sed nitida vestimenta, primo mirati, deinde ingenti gaudio completi sunt. Velocissimê se induerunt, pulchra vestimenta ad corpora astrinxerunt cantantes:

“En nos laevos et decoros pueros –
num decet nos consuere calceos?»

Deinde saliebant super sellas scamnaque. Denique saltantes per ianuam evaserunt. Inde ex eo tempore non iam revererunt, sed sutor bene se habuit, dum vixit et quidquid facere coeperat feliciter ei succedebat. -

Altera fabella



Aliquando fuit pauper puella famula, sedula atque pura; eadem cottidie domum everrebat quisquillasque in magnum cumulum ferebat ante ianuam coacervatum. Aliquo mâne modo opus receptura invênit epistolam cumulo impositam, et quia litteras nescivit, scôpis angulo impositis epistolam attulit dominae suae, quae explicavit epistolâ famulam invitari a pumilionibus, qui eam rogarent, ut infantuli baptizandi fieret matrina.

Puella autem nescivit, quid faceret, iterum iterumque admonita, ne renegaret tales preces, quod nequaquam liceret, tandem assensit. Tum advenerunt tres pumiliones illamque duxerunt in montem cavum, ubi illi habitabant. Ibi omnia erant parva, sed ineffabiliter nitida et pulchra.

Mulier, quae peperit, in lecto iacebat, nigro in lecto ebeneo, botonibus margaritis confecto, opertoria erant auro picta, cunae erant eburneae, pyelus aureus. Puella autem nunc cum matrinae munere functa esset, domum ire voluit, sed pumiliones eam obsecraverunt, ut maneret apud se per triduum. Ergo puella mansit et tempus degit laetê et gaudenter, et pumiliones ei maximê indulserunt. Cum puella esset profectura, pumiliones eius sacculos impleverunt auro, et ex monte eam eduxerunt. Ea cum domum rediisset, opus incohatura, scopas comprehendit adhuc in angulo stantes, et coepit verrere. At tum e domo venerunt homines alieni quaerentes e puellâ, quisnam esset, et quid ibi ei esset faciendum. Nam ea non, ut opinata erat, apud pumiliones in monte fuerat per triduum, sed per septem annos, et domini, qui ei antea fuerant, interim erant mortui. –

Tertia fabella

Cuidam matri a pumilionibus infans e cunis ablatu erat, pro eo suppositus cambio, capite crasso, oculis torpidis, qui nihil cupiebat nisi comedere et bibere. Mater, qua erat aegritudine, adiit mulierem vicinam, ut sibi aliquid suaderet. Vicina autem dixit, ut cambionem ferret in coquinam, foco imponeret, ignem accenderet, et in duorum ovorum testis aquam fervefaceret; hōc modo effici, ut cambio rideret; si rideret, actum esse de eo. Mulier omnia fecit quae vicina dixerat. Cum testas ovorum aquâ completas igni imponeret, cambio crassiceps dixit:

“Quamquam multos annos habeo
tamen primum omnium video
aquam fervere testîs ôvi inditam”

et coepit de eâ re ridere. At cambione ridente advênit multitudo pumilionum, qui attulerunt infantem verum et foco imposuerunt et cambionem secum rettulerunt. –

**Has fabellas Grimmianas
excerpsit et in Latinum convertit
Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

DE RAPTORE HOTRENPLOTZIO

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoria, quae appellatur
LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoria, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM

VOCABULA VESTIARIA (I)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum sextam, quae spectant ad res domesticas (VII. DOMESTICA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM – IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.AUTURGIA ET HORTICULTURA – IX.VESTIMENTA – X.INSTRUMENTA PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas partem vestiariam huius enchiridii singularis primam vocabulis Latinis ditificatam. Faveas, quaeso, operi nostro laborioso.

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

Theodisce	Anglice	Francogallice	Hispanice	Italice	LATINE
KLEIDUNG p.336 sqq.	CLOTHING	VETEMENTS	VESTIDO	ABBIGLIAMENTO	VESTĪTUS, - ŪS M.
Elemente historischer Kostüme	features of historical costume	éléments du costume ancien	indumentaria antigua	capi antichi	vestīmenta antīqua
Peplos	peplos	péplos	peplo	peplo	peplus, -ī m.
Fibel	fibula	fibule	fibula	fibula	fibula, -ae f.
Umschlag	fold	repli	pliegue	piega	plica, -ae f.
Toga	toga	toge	toga	toga	toga, -ae f.
Sinus	sinus	sinus	seno	seno	sinus, -ūs m.
Purpursaum	purple border	bande de pourpre	orla de púrpura	bordo di porpora	limbus purpureus
Stola	stola	stola	stola	stola	stola, -ae f.
Palla	palla	palla	palla	palla	palla, -ae f.
Chlamys	chlamys	chlamyde	clámide	clamide	chlamys, -ydis f.
Chiton	chiton	chiton	quitón	chitone	chiton, -onis m.
p.337 Cotardie	cotehardie	cotardie	túnica de manga larga	cottardita	tunica manicae pendulae
Hängeärmel	floating sleeve	manche flottante	manga flotante	manica svolazzante	manica pendula
senkrechte Tasche	vertical pocket	poche verticale	bolsillo vertical	tasca verticale	sacculus verticālis
Kleid mit Krinolinenrock (Reifrock)	dress with crinoline	robe à crinoline	vestido con crinolina	abito con crinolina	vestis cum gunnā *crīnilīneā [cfr http://en.wikipedia.org/wiki/Crinoline : The name <i>crinoline</i> was invented by one of the <i>fabric</i> 's manufacturers, who combined the <i>Latin</i> words <i>crinis</i> (meaning "hair") and <i>lin</i> (meaning " <i>flax</i> ".)]
Ärmelpuff	short sleeve	mancheron	manga corta	manica corta	manica brevis
Ärmel	sleeve	manche	manga	manica	manica, -ae f.
Franse	fringe	frange	orla	frangia	fimbria, -ae f.
Korsett	corset	corset	corsé	corsetto	thōrāx (fēmineus) [He. p.326 s.v.: a.1852, Bartal, Glossarium Mediae et Infimae Latinitatis Hungaricae 01,665]
Unterrock	underskirt	jupon	enaguas	sottogonna	hypozōnium, -īī n. [He. p.576, s.v. Unterrock]
Schal	shawl	châle	chal	scialle	anaboladium, -īī n. [ITALA gen.49,11]
Überkleid	surcoat	surcot	sobreveste	sopravveste	vestis superior
Kleid mit flachem Reifrock	dress with panniers	robe à paniers	vestido con miriñaque	abito con panieri	vestis cum gunnā calathīnā [calathus, -i m., i.q. corbis; *calathinus, -a, -um v. Stearn]

					s.v.; cfr http://de.wikipedia.org/wiki/Reifrock : "In Frankreich und dem Rest Europas kehrte der Reifrock erst um 1715 wieder. Zunächst kurz und kegelig, wurde er schon wenig später kuppelförmig und extrem ausladend. Diese frühe Form hatte große Ähnlichkeit mit den damals auf Märkten verwendeten Hühnerkörben (d.h. kuppelförmigen Käfigen), daher der Name <i>Panier</i> (frz. „Korb“).]
Kleid mit Turnüre	dress with bustle	robe à tournure	vestido con polisón	abito con sellino	vestis cum gunnā sinuātā
Caraco	caraco jacket	caraco	blusa caracó	giacca attillata	*caracō, -ōnis m.
Turnüre	bustle	tournure	polisón	sellino	gunna sinuāta
p.338 Schoßrock, Gehrock	frock coat	frac	levita	marsina	+iacca *genuāria
Weste	waistcoat	gilet	chaleco	panciotto	colobium, -iī n.
Kniehose	breeches	culotte	calzones	culottes	brācae *genuāriae
Justaucorps	justaucorps	justaucorps	casaca	giustacuore	vestis *Lūdovīciāna [http://de.wikipedia.org/wiki/Justaucorps: Ludovicus XIV. Rex Francogalliae illustrissimus, hoc genus vestium cum saepis gestaret effecit, ut in consuetudinem communem introduceretur]
Weste	waistcoat	veste	chaleco	panciotto lungo	colobium longum
Aufschlag	cuff	parement	puño	polsino rivoltato	revīmentum, -ī n. [FRONTO Laud. Fumi p.211,21 N.]
Knie(bund)-hose	breeches	culotte	calzones	culottes	brācae *genuāriae
Umhang	cape	cape	capa	cappa	abolla, -ae f.
Jacke	jacket	jaquette	aljuba	giubba	+iacca, -ae f. [He. p.291]
Houppelände	houppelände	houppelände	toga	pelanda	+tabardum, -i n. [http://ducange.enc.sorbonne.fr/TABARDUM. cfr Wikipedia s.v.Tappert: „(auch Tapphart, Taphart, Tabard, Daphart, frz. <i>tabard</i> , span. <i>tabardo</i> , it. <i>tabarro</i>) ist ein rockähnliches Gewand des Mittelalters, das ab dem 13. Jahrhundert, von Männern besonders häufig jedoch Anfang des 14. Jahrhunderts getragen wurde. Der Tappert ist identisch mit der Houppelände aus Frankreich und Burgund.]
Wams	doublet	pourpoint	jubón	farsetto	thōrāx lāneus

Achselstück	wing	aileron	hombreira	ala	āla, -ae f.
Hängeärmel	hanging sleeve	manche pendante	manga colgante	manica pendente	manica pendula
Pluderhose	trunk hose	haut-de-chausse	gregüescos	calzoni a palloncino	brācae effertae
Beinlinge	braies	braies	calzas	brache	brācae disiūnctae
p.339 Hennin	hennin	hennin	cofia cónica	cappello a cono	mitra +cōnica
Dreispitz	tricorne, three-cornered/cocked hat	tricorne	tricornio	tricornio	petasus triplicātus
Zweispitz	bicorne	bicorne	bicornio	bicorno	petasus duplicātus
Absatzschuh	heeled shoe	soulier à talon	zapato de tacón	scarpa con tacco	calceus *fulmentātus
Schnabelschuh	crakow	soulier à la poulaine	zapato a la polaca	scarpa alla polacca	calceus rōstrātus [http://de.wikipedia.org/wiki/Schnabelschuh : "Eulogium Historiarum datiert ihre erste Erscheinung auf die Jahre 1361–1362: Eodem anno et in anno praecedenti tota communitas Anglicana versa. [...] Habent etiam sotulares rostratas in unius digiti longitudine quae Crakowes vocantur; potius iudicantur ungula daemonum quam ornamenta hominum.]
kleiner Kragen	collaret	collerette	cuello de Holanda	collaretto	collāre minus
Halskrause	ruff	fraise	gorpuera	gorgiera	collāre crispum
Gamasche	gaiter	guêtre	polaina	ghetta	ocrea, -ae f.
traditionelle Kleidung	traditional clothing	vêtements traditionnels	indumentaria tradicional	abiti tradizionali	vestītus +trāditiōnālis
Boubou	Boubou, Senegalese kaftan	boubou	boubou	boubou	vestis *bubuāna
Kaftan	caftan	cafetan	caftán	caffettano	*caftānus, -ī m. [He. p295 s.v. Kaftan: a.1863, Bartal 01,89]
Wickelrock	loincloth	pagne	pareo	pareo	gunna *ūnipannāta
Fes	fez	fez	fez	fez	cappa +Fessāna [Fessa = Fes, urbs Maroccana, Regnum Fessanum OL]
Turban	turban	turban	turbante	turbante	*turbānum, -ī n. [F. BACON: Nova Atlantis, a.1627]

Haec vocabula vestiaria
excerpsit et in Latinum convertit
Nicolaus Groß
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

(Pars altera vestiaria sequetur)

De Raptore Hotzenplotzio

Hanc fabulam puerilem Theodiscê scripsit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß

„De Raptore Hotzenplotzio“ (titulus originalis: „*Der Räuber Hotzenplotz*“) est fabula puerilis Otfriedi Preußler Germani auctoris. Haec fabula a. 1962 primum edita est.

Raptor Hotzenplotzius rapinationibus suis audacissimis territat homines totius regionis. Cum iste raptaverit etiam aviae machinulam cofeariam, Casparulus atque Iosephulus indignatissimi statuunt, ut raptorem capiant et tradant astyphylaci Dimpfelmosero. Infeliciter ipsi raptori Hotzenplotzio contingit, ut ambos capiat. Sed quia iidem integumenta capitum inter se permutaverunt, ipsi a raptore inter se confunduntur; ita fit, ut Hotzenplotzius malo mago Petrosilio Zwackelmanno sub nomine Iosephuli vendat Casparulum pro uno tantum sacco tabaci sternutatorii.

Casparulus, cum aliquanto post in castello magico forte fortunâ inveniatur fatam Amaryllidem, quae a mago in bombinam mutata est, non cessat illam adiuvere...

Haec fabula laureata, quae iocorum tam plena est tantamque habet expectationem, ut animi puellarum puerorumque audientium legentiumve vehementer soleant inflammari, usque nunc in triginta quattuor (34) linguas translata erat. Ergo haec versio Latina, quam manibus tenes, cara Lectrix, care Lector, est translatio Hotzenplotzii tricesima quinta eademque Latina. Si Tibi placuerit, commendamus Tibi alias versiones Latinas fabularum modernarum, quae in domo Leonis Latini editae sunt, e.g. “Recitatorem” Bernardi Schlink (orig. “*Der Vorleser*”) necnon “Fragrantiam” Patricii Süskind (orig. “*Das Parfum*”) fabulas theodiscas veste Latinâ indutas.

Ergo visas, quaesumus, domûs Leonis Latini editoriae situm interretialem:

www.leolatinus.com



Otfried Preußler, *Der Räuber Hotzenplotz*
© 1962 by Thienemann Verlag (Thienemann Verlag GmbH)
Stuttgart/Wien, www.thienemann.de

Editio Latina:
Copyright © 2013 by LEO LATINUS
spqr@leolatinus.com
ISBN 978-3-938905-33-3



Recitator

Fabula romanica
quam theodiscê scripsit
Bernhard Schlink

in Latinum convertit
Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoriâ, quae appellatur
LEO LATINUS

Senden in oppido Bavarïæ Suebicæ
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completæ adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistolam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !

**HANC EPISTULAM LEONINAM
SEXAGESIMAM QUARTAM**

EL 64

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT

d. Lunae, 11. m. Nov., a.2013

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>